

LIB. XXI. TIT. I.

DE ÆDIL. EDICT. ET RED-
HIBIT. ET QUANT.
MINOR.

OBSERV. DCLXXVII.

Hujus tituli duæ sunt partes) Ædiles in Edicto suo, quo de rebus ad jurisdictionem suam pertinentibus aliquid edixerunt, nihil fere aliud, quam communia juris naturalis decreta proponunt, summa enim eò redit: Contrahentes debere à læsione abstinere, damnum voluntarium invito illatum resarcire, ac fidem servare *lit. O. n. 1. 2. 3.* contra officium negligentes & contumaces, auxilia & actiones promiserunt, ut lædens rem vitiosam vel recipere, vel pretium ex parte reddere debeat, verbis: *rescindunt*, quæ adeò actiones naturales sunt, si hæc excipias (1.) quod actio redhibitoria magis sit data, quam nata *lit. C.* hoc enim vanum commentum est, quo nec Jurisprudencia, nec negotia humana indigent, (2.) quod eadem actio detur in duplum ob contumaciam *lit. O.* quæ dispositio positiva nunquam est recepta, (3.) quod certo tempore, utraque actio extinguatur, quod hodie usum habet.

OBSERV. DCLXXVIII.

Latens, quod ex inspectione cognosci non potest) Requisita, quæ hic inculcantur, eo pertinent, ut constet, an quis revera, alterius voluntate, invitus læsus sit. *conf. STRYK in not. b.* cum autem harum rerum æstimatio nonnunquam dubia sit, ideo lex positiva certius subinde illa definit. Sic jure Saxonico emtor equi, læsus saltem censetur, eoque nomine Venditorem ha-
bet